8

ORATIO SECVLARIS

QVAM

POST

VRANIAE REDITVM

ANNO

TER CENTESIMO.

IN

ALMAE MATRIS LEVCOREAE


AVDITORIO MAIORE

HABVIT

ADOLPHVS IVLIANVS BOSE

MED. CVLT.







WITTEMBERGAE

EX OFFICINA SCHLOMACHIANA






QVINCTILIANVS

Inſtit. X. Cap. I.

ARATI MATERIA MOTV CARET, VT IN QVA NVLLA VARIETAS, NVLLVS AFFECTVS, NVLLA PERSONA, CVI VSQVAM SIT ORATIO.





RECTOR
ACADEMIAE MAGNIFICE,
PER-ILLVSTRIS LIBER BARO,
VIRI
SVMME REVERENDI, ILLVSTRES,
CONSVLTISSIMI, EXPERIENTISSIMI,
AMPLISSIMI, PRAECELLENTISSIMI,
AVDITORES
OMNIVM ORDINVM ET CONDITIONVM
HONORATISSIMI,
TVQVE ADSTANS COMMILITONVM VEGETA COHORS,
PATRIAE DECVS, SOLATIVM FAMILIARVM,
PATRONI,
FAVTORES AC AMICI AESTVMATISSIMI.

NVM dabitis ueniam, minus etſi ſermo placeret?
Vt placeat, certus ſpondeo: preſſus erit.
CALLIOPE mendax furibundos ſaepe canebas
AEACIDAS, pudeat! iam mage uera feres.

 VRANIAE

VRANIAE fuaui cantandus carmine fplendor
Fulmen at herois nunc elegia tonet.
NVMINIS Aftronomus referat magnalia CELSI,
EST DEVS OMNIPOTENS! EST DEVS! aftra probant.
Legifer hoc nunquam potis eft euincere MOSES,
BVLLINGBROK ridet BIBLIA SACRA ferox.
Dum rabidus COLLINS IESV miracula fpernit,
Coelo demonftrat: STAT DEVS! ecce! NVTON.
Sin EDELMANNVS, SCHMAVSS, TYNDAL, NVMINA mordet,
DERHAMI iufti fidera, folque domant.
Et nunquam nofces, aut nunc: EX HIS GENITOREM, CREATOREM,[1]
Maxima quem fiftunt, quem minimusue culex.
Surfum fic oculos tollamus, cordaque furfum,
Fornice fapphiri NOMINA cerne PATRIS.
Aurifer HAEC axis rutilanti lumine pingit,
India chryfolithis aut adamante cadat.
Aft prius, hoc libro coeli, quam lectio proftet,
Hoc opus, hic labor eft, eft hieroglyphicus.

VRANIAM meditor, fugiat fic fabula quaeuis,
HERMES, ENDYMION, CEPHEVS, HELIADES.

ANNE columna SETHI uulcanum fpreuit et undas?
Quaero fed: hoc fcribens unde IOSEPHVS[2] habet?
Se uidiffe monet; foret hoc affertio certa;
Fragmina fi cernit, numne Sethana uidet?

IACTITAT affiduas aethrae BABYLONque, NINVSque
Flammigerae curas; primus et aftra docet
CHALDAEVS; forfan CHAM ftat ZOROASTER[3] eous
Heros HYDAEI, quem SABA pura colit.
EPIGENES teftis: „BABYLON per fecula feptem
„Luftraque per quatuor[4] fidera uifa monet.
„Coctilis infcriptos retinere laterculus ipfis
„Motus errantum tempore fertur eo.
Prifca legis dubitans? quaefo, magis elige prifca:
PORPHYRIVS[5] narrat; (fi modo uera forent)
„CALLISTHENES mifit, BABYLONE per exitiales
„Capta GRAIVGENAS, (id rogitarat eum

„Magnus

„Magnus ARISTOTELES) canorum phaenomenorum
„Veracem numerum (tempora longa ſtupe)
„Haec obſeruarant lyncei mille per annos
„His ternos iungas, addeque ſecla nouem. 1903.

NEC tamen hic uiridans ſileat miracula MEMPHIS,[6]
Se crepitat primam, cui polus ipſe patet.
Vindicat hocce decus ſibi gens PHARAONIS acuta,
Niliacas undas nempe CANOPVS adit,
Vix ſed horizontem ſtringens RHODIIS, [7] cadit imus.
Ignis ceu fatuus ſtat, ſalit, atque ruit.
Hinc et OSYMAND'AS [8] generoſus NILIGENARVM
Tot monumenta ſagax uix imitanda dedit.
Circulus obryzo ſacratur motibus anni,
Ortus et occaſus, quolibet isque die,
Inciſus fulget, pretio, quod credere nullus
Mortalis uellet; ſunt duo, iunge decem,
His iterum decies ſex, addas millia mille,
Denuo bis centum, denuo mille uices. 1272. milliones.
(Horrendus numerus! facit hinc BORRICHIVS aurum,
CASSINIque negans) aureus hungaricus
Sit pondus. Nunquam PELLAEVS nempe ualeret
Quantumuis diues, praemia tanta dare.
Sis memor, addubitas? hic, hic meminiſſe iuuabit,
Sis memor, hoc teſtor, molis inocciduae,
Quamue SESOSTRIS ouans, ſuperato uictor ab hoſte
Fulgidus erexit; ſtat OBELISCVS, onus
Prodigiale, MITHRAE ſacrum; reparauit id ALTVS
Nunc BENEDICTVS, [9] EI terna TIARA micat.
Peſtis CAMBYSES! tu talia dona Camoenis?
Vaſtator potius deiicis alta Phari.
Aſtrorum cultum teſtantur PYRAMIDESVE,
An caſu quatuor reſpicit aequa plagas? [10]

CAELIFER hos ſequitur ſuperae uenerabilis ATLAS [11]
Inuentor ſphaerae. Fabula forte proba.
Quid? rapto nunquam poenas luit igne PROMETHEVS, [12]
Caucaſus haud uinctum, nec IOVIS ales habet.

Sidera detexit, quare furgantue, cadantue,
Dicitur hinc alto deripuiffe faces.
AESCHYLVS [13] haec cecinit. Quemuis, aliena rapina
Quem ditem reddit, par fera poena manet?
MAGNVS ALEXANDER! tibi quot tunc hepata crefcent?
Quot pafces aquilas mors ebriofa CLITI?
Hic Heros? Heros incenfor? Regia Perfae
Hunc Regem BACCHO pallet et igne grauem.
Ex epulis MAGNVS PELLAEVS, pellice iuncta
Profilit? et flammas, uina, necesue uomit?

FLVCTIVAGI, quaeris, cur Theffala IASONIS ARGO,
Cui CHIRON [14] fphaeram fecerit, hic lateat?
Si modo reuera quondam tam ftultifera [15] ARGO
Extitit, id nemo uerificare ualet.
Cum fcio, tum miror, quae NEWTON Philofophorum
Maximus, hac epocha praeftigiofa dedit. [16]
Legi, perlegi, titubans uehementior infto,
Fax ueri nunquam lumine corda replet.
Heroës furgunt quot contra! praelia quanta!
NEWTON, HALLEIVS, SOUCIET, et VIGNOLES.
En aquilis aquilas, et pila minantia pilis, [17]
Inter quos ego ftans hifcere nempe queam?
Hinc humilis fileo, modo mentis profero fenfa:
ARGO, uel IASON, haereo, numne fuit?

HAEC, quicquid MARSHAM [18] demonftret, quicquid et ANGLVS,
Temporis haud certi. Poftera certa magis.

Ante Chr. N. 747. PRIMA corona manet MAGNI NABONASSARIS [19] AERAM,
SOTHICVS ac annus concelebrandus adeft.
Solaris fulget, pro curfu Regis olympi,
Artificis grandis, grande laboris opus.
Principium capiens menfis, qui nominis eft THOT,
Hic femper primas, annus et inde fluit.
Prima dies menfis primi, nunc ftat, CANIS ASTRO
Exoriente tenax, nullus in aeua Brufus
Tam firmus manfit, ftetit ordine, baionetumue
Tam rigidus tenuit (uox furiofa, fcio)

Ortu

Ortu quam dicto currens aegyptius annus,
  Sed uagus, incertus, qui remeando ruit.
Dat MEMPHIS PHOEBO tercentos, sex deciesue,
  Quinque dies plenos, scrupula nulla supra.
Deficiunt ergo sex horae quolibet anno,
  Hinc annis quatuor surgit adulta dies,
Quo graditur retro primus THOT, sic caput, annis
  Octo, ter quatuor, per duo, tresue dies
Principium repetit, sua uoluit tempora retro,
  Serpentisue caput cauda momordit edax. [20]
Mille- quater-centum, quapropter, sex-deciesue
  Ac unus gyrus quos MAREOTIS habet, (1461.)
Annos solares, ceu motus uerus adimplet,
  Mille quater centum sex deciesue ualent. (1460.)

Mi uenerande senex! MILETI cara propago natus 640.
  THALES! Tu primus solis opaca doces. [21] †570 aut 545.
Bellum uulnificum iam quinquennale uorabat
  Lydos et Medos, pugnaque scaeua furit.
Nox fit. Rex coeli caligine mergitur atra, A.C. N° 585.
  Praedixit THALES. MARS fuge, PAXque uiret. [22]
Sique SOLON sapiens, annos Tibi fixit Athenae, natus 639.
  Alter solipotens, ora Cecropis! erat. [23] † 559. *Salaminius.*

PRIMUS bis senis fortasse CLEOSTRATUS exstat, 548. *Tenedius.*
  Zodiacum signis qui bene diuideret. [24]
Baltheus inde poli rutilans adamantinus astris;
  Octaeteridium sedula cura dedit.

Mox et ANAX' MANDER studioso tramite currens, [25] 544. *Milesius.*
  Quantum declinet feruida Sole uia
Trans aequatorem, uictor determinat, arcus
  Noscitur obliquans, zodiaciue sinus.
Et per eum primus gnomon Lacedaemone structus
  Aequidium primo solstitiumue domat.

OENOPIDES *Chius* ni forsan sciverit ante, 560.
  Loxosi quanta clinet ab aequidie [26]
Signiferi medium, cui dant ecliptica nomen
  Hic arcus clauis, porta, seraeue poli.

Aegyptum

Aegyptum petiit; [27] mirans uidet: en! adoleſcens
Quam multos libros comparat! cia monet:
„Hos animus teneat ſtabilis, non citria citta. [28]
O bellum dictum! bibliomango notes.

540. Samius. PYTHAGORAS uero renitet ſyſtemate mundi, [29]
Quem uidet ille MAGVS, Heſperiaeque plaga.
Qua patet Eous, qua Cynthi uibrat APOLLO,
Qua Tarteſſiacis mergitur altus aquis:
Aeternis uolitans tua ſeclis fama perennat.
Te canit et Tameſis, Teutoque iuſta canit.

Agrigentinus. EMPEDOCLES huius (dicunt) auditor, et ipſe [30]
Percarus MVSIS aethera ſuetus adit.
Scripſerit an SPHAERAM, tanto quae nomine gaudet, [31]
Haud certum; certum, priſcus hic auctor erat.
Rixator fertur, doleo. Deus orbis haberi [32]
Dum furit, heu! flammis conflagrat, Aetna uorat.

530. Mileſius. EN et ANAXIMENEM, ſtatuit, quod ſidera CIRCVM, [33]
Haud SVPRA terram motus in orbe uehat.

520. HARPALVS ingenio ualet, octaeteride praeſtans, [34]
Solis cum Luna comparat illa uias.

480. Clazomenius. SCANDIT ANAXAGORAS laudis celebrandus opimae
Primo martyrium Philoſophia tulit. [35]
Deliquium PHOEBI plebi dum pandere primus
Audet, mox ea plebs impietate tenet.
Impietate tenet GALILAEVM [35] Roma, quod (olim
Ariſtarchus. Ceu SAMIVS) VESTAM mouerit ipſe loco.
Impietate tenet BONIFACIVS inſidioſe
(Antipodes quoniam dicere VIRGILIVS [37]
Auſus erat) doctum, qui multo doctior ipſo,
Integer et Praeſul; ſedeque pellit eum.
Sede Salisburgi? macula, quam tempore nullo
Abſtergat pietas, ſed nimis acris, atrox.
„Ter felix cui non metus a CLEANTHIBVS obſtat,
(Sic loquitur KEPLER) [38] is modo uera refert.

HIC

HIC coelum patriam colit, HVIC DEVS INFINITVS;
Vt ſolem ſpectet, ſe putat, atque polum,
Viuere; praedixit ſaxoſam ſole ruentem
Ad flumen maſſam, nominis Aegos erat.
Magnanimus, ridens, amiſſis omnibus, inquit:
„Haud eſſem felix, haec niſi perdiderim, [39]
Huius LVCRETIVS ſcrutatur *ὁμοιομερείας*, [40]
Laude VIRVM decorans, laude ſtat IPSE VIRI.
Aethereos montes, conualles innumeroſas [41]
In luna, MAGNVS! mox habitacla locat.
DELIBO quosdam. Num quosuis tangere poſſem?
Quos calamus reticet iuſtus honoro lubens.
MYSTA ſagax ſalue! notiſſimus ille METONIS 432. *Atheniensis.*
CYCLVS adeſt, annis *quinque bis*, atque *nouem.* [42] 6939. d
Deſignat, quantum ſolaris differat annus
Tropicus, abs iſto quem caua Luna ligat.
TEMPORA quadruplicat CALLIPPVS, iungitur *annus* 330. *Cyzicenus.*
Ter quinis luſtris; palma fereque manet. [43] 27756. d
NEC PHILOLAVS eget thuris, ſyſtemate uero 430. *Crotoniata.*
In ceutro ſolem, terra rotata, docet. [44]
Diſcipulum uinclis DIONYSI ſoluere tentans,
Vnum librorum, liber ut hicce foret,
Offert crudeli; denaris mille PLATONEM,
Sed decies, eius *tres* coëmiſſe ferunt.
ET MARIS, et terrae, numeroque carentis arenae 405. *Tarentinus.*
Menſor es ARCHYTAS, ceu VENVSINVS habet. [45]
CYZICVS exortum celebris celebrans HELICONIS,
Fortunae cuius nullibi noſco parem.
Credere quis potis eſt, quod Rex DIONYSIVS illi
Argenti dederit, (uixque referre licet)
Munus ſplendeſcens, unius nempe talenti.
Tyrranno tanto gratia tanta ſedet?
Cur dederit ſtupeas; eclipſin uaticinatus [46] 404.
Hic HELICON Regi, magnificusque micat.
I claro noſtri cito tempore, tamque polito,
Mille doce eclipſes, quisue triunce beet?

368. LAVRIGER EVDOXVS *Cnidiis* decor, atque triumphus
Scripſit ephemerides, primus hic anne dabat?
Hic ſpatium, quo Sol auſtrum boreamue ſerenat,
ISIDIS ad menſes corrigit, atque parat.
Isque SENEX *Cnidius* (ſic nobilis eſt AVIENO)[47]
Octaeteridii per monumenta frequens.
Exoptat, Solis ſe uis inſtar PHAETHONTIS
Comburat, melius dummodo noſcat eum.[48]
Praeterea lator legum iuſtiſſimus audit,
Mileteque SOLON HIC *Cnidiiue* fuit.[49]

natus 384. † 322. MAGNVS ARISTOTELES in libris, nomine COELI[50]
Tradidit, aſtrigeros cur locus inter EI.

EN! nouus Aſtronomis, quamuis iucundior, aeque
Difficilis floret campus, opusque recens.
300. in muſeo Alexandrino PHILADELPHI. Te loquor excelſi celſus ſcrutator olympi,
Vincis ARISTYLLVS,[51] qui numerare faces
Haud timet impauidus, caelorum Daedala cura
Ordine tamque uago ſidera fixa tenet.
300. Teque uiret maior TIMOCHARIS[52] is generoſus,
Complet cattalogos, aſtraque charta gerit.

CODEX AVTOLYCI *Pitanaei* fructifer extat,
DE SPHAERA MOTA,[53] quamlibet exiguus.
300. circiter. ORTVS ET OCCASVS STELLARVM[54] coeliuagantum
Per binos libros pingitur atque placet.
Qui proſtant coeli foret antiquiſſimus auctor,
Si SPHAERA EMPEDOCLIS ſit tibi forte recens.

280. *Solenſis.* QVEM fugit, o DOCTI! mellis tam diues ARATVS?
Quem CICERO, RVFVS, CAESAR et expoliit.
Non liquet, anne CONON ſteteris aequalis ARATO;
Hoc liquet, ANTIGONVS, (quemque GONATA notant)[55]
Cum ſibi iuncta foret proba filia, PHILA SELEVCI,
ARATVM nouit, carmine mollis erat.
REGI MVSA placet. Reminiſcitur illico libri,
EVDOXO *Cnidio* compoſitore uolat
Per Danaum fines; titulus fuit eius: *ἔνοπτρον*,
(Vel ſpeculum) quoduis ordine ſidus habet.

Siſtit

Sistit id ARATO REX, laudat, prouocat ignes:
„En! uideas quae te gloria dia manet!
„En! uideas quae te REX, orans, obsecro: prosam
„EVDOXI, metro condere nonne placet?
„EVDOXVM prosa fac ἐνδοξότερον, inde
„CALLIOPES ARATVM MVSA PELASGA canat.
Celsus hic ARATVS, cui totus cedat HOMERVS,
Effatum cuius BIBLIA SACRA citant.
Rides; „amphibium num forsan uester ARATVS?
„Quem mox ARATVM, mox ARATVMue plicas?
Gloria *pelignae* gentis producit, ut infra:
„Cum Sole et Luna semper ARATVS erit. [56]
„Aut ARATI numeros, aut picta MANETHONIS astra, [57]
Contra MAMERCVS corripit; ambo sequor.

NVNC ARCHIMEDEM miremur. IVPITER ingens — nat. 289. † 214.
Tanta *Syracusas* uix iuuet, ipse tonans,
Quantum Tu, fulmen. MARCELLVS parcere iussit, [58]
Te letho raptum uictor et ipse dolet.
Hic sileo, quantum geometres debeat omnis
Huic fere semideo. Iam modo sphaera ualet.
Iam modo sphaera ualet, nitidus quam uitrea pinxit,
Raptu PERSEPHONES ARCADIOque potens. [59]

MAXIMVS EVCLIDES dum librum, PHAENOMENORVM [60] — 277. mortuus Ptolemaeus Lagus, sub quo floruit. 281-260.
Scripsit, de sphaera prima elementa docet.

VICTOR stellarum, Rex, fatidicusque BEROSVS,
Interpres BELI, [61] qui BABYLONE uiret,
Collegit ueterum coelestia. [62] PALLAS ATHENIS
Ponebat statuam, aurea lingua cui. [63]

IVSTVS ARISTARCHVS, quoniam damnatus inique, [64] — 264 *Samius.*
Magnitiem Phoebi, quantaque Phoebe, dedit,
Et quantum distent. Vulgauit WALLIS. [65] At illa
ROBERVALLEII, [66] gallica uena creat.

NEC desit sacra laus ERATOSTHENIS. Indice coeli — nat. 276. † 196. *Cyrenensis.*
Commeruit coeli, commeruitque meas.
Quosue *catast' risinos* lucubrat luce CLEANTHIS, [67]
Primus adumbrat; an hic stelliparensne satur?

Herculeus, credas, uel adhuc operofior aufus,
Ambitus huic terrae. Quantula? groma ftinat. [68]
Nempe ducenta fimul cum quinquaginta [69] notauit,
Mille uices fumtis, [70] tot ftadiisque globi
Maximus eft circ'lus. Sic βῆτα dictus Olympi, [71]
Sic mox Pentathlus. [72] Quantus is inde uides.

260. *Samius.*

HIC fit adulator uerfutus commemorandus,
Quique nouo decorat fidere coela CONON. [73]
Vouerat en! Regina COMAM (fed an EVERGETAE?)
E BERENICEO uertice pulchra fecat.
Dedicat et templo rofeos formofa capillos,
„Si coniux thalami uictor ab hofte redit.
Victor ab hofte redit, crinis mox aede colendus
Ponitur, et populus mox pietate colit.
Caefaries rapitur, rabies quae ftrideat, ipfe
Stes iudex, penetrat clamor ad aftra poli.
Acceditque CONON trabeatus, celfa triumphans:
„En! Dominatricis crifpula fulget ibi!
„Fulget ibi. Dextra NEMEAEVS protegit, ardens,
„HERCVLEVSQVE LEO, gloria magna Dei.
„Laeuam tutatur CVSTOS ERYMANTHIDOS VRSAE,
„Cingat ut ARCTVRVS, CAVDA, COR, ipfe LEO.
CALLIMACHVS [74] nablizat quam uiuax! entheus! Aucta
Poft VERONENSEM [75] Roma latina canit.

inter 247-205. *Pergaeus Geometra magnus.* APOLLONIVS.

IVVIT, dum conos [76] fecat APPOLLONIVS ingens,
Orbes errantum, fic tibi iure locus.
Myndius [77] alter erat, qui coeli caerula templa
Scandens, crinitas corpora prifca facit.
Perriodis remeare putat. Quid? tempore fixo,
Suntque coaeua polo, nec meteora probat.
Myndius haec? noftro praeftans HEVELIVS aeuo
Contra? Tu uictor! aftra polumque rotas.

THALES ARGOLICIS primus: NIGRESCET APOLLO! [78]
Praedixit; THALES, VRBS! tibi GALLVS erat.
AEMILIVS PAVLLVS, MACETVM dum PERSEA Regem
Poftremum bello, fanguine, morte petit;

Ful-

Fulminat in PELLAM, minitans, terramque, polumque,
Romanas acies inque Phalanga uibrat.
Agmina quam fulgent! quam mucro, caſſis, et haſta!
Hic gladius gladio, pes pede, uirque uiro
Vulnifico preſſi; tuba ſignat, – craſtina Lux eſt
ROMANIS AQVILIS PERSEVS unde perit.
Vmbraque dum creſcit cataphractus forte tribunus
SVLPICIAE gentis, GALLVS, aperta docet:[79]
„CYNTHIA mox noctu tenebris ſua cornua complens, 168.
„Tempore quo ſolo luminis orba nigret.
„Nil timeatis, *ait*, medio ſtans hic globus ipſe,
„Tellus, quam calcas, linea recta, loco,
„Inter Phoebeum rutilans, lunareque corpus,
„Omnem ſed lucem DELIA SOLE tenet.
„Quid mirum, *pergit*, ſi deſes, opacaque tellus
„Hoc poſitu lunae lumina quaeque rapit?
„Fuſcatur ſenſim, nunc ſpadice, nuncque cruore;
„*Eclipſis lunae* dicitur iſte labor.
„Hunc aſt ante diu liceat cum uaticinari,
„Ordo naturae, (mutuus orbe redit)
„Num nos confringet? pudeat! ROMANE! memento,
„ROMANAS AQVILAS quaerere SOLIS iter.
„Nil ad nos LVNAE defectus. Pella timeto,
„Tu, MACEDO, tirubes, ad ſtyga LVNA trahat.
Incipit eclipſis, ſtupet en! mox Romula proles,
Cui GALLVS ſolus doctus et almus erat.
Ingenium celebrat miles; ſapientia ſumma!
Vis diuina uiro Pallade corda replet!
AVSONIIS morpheus, MACEDO tremit, haeſitat, algens,[80]
PERSEVS in uinclis; LVNA rubore docet
Aequali caſu ſeruatur uita COLVMBO,[81]
Eclipſi TRIVIAE quam minitatus erat.

ASTRILOQVAE uideas tenus hac commenta puellae,[82]
Flos iuuenilis erat, nunc adoleſcit itu.
HIPPARCHVS duplex? RHODVS[83] hunc, BITHYNIA nobis 162. uſque 128.
Iſtum gignebat, nomina clara poli.

Sedulus hic ueterum collegit uisa, fereno
Vnquam CHALDAEVS quae BABYLONE notat.
 Cyclum CALLIPPI correxit; quaeque figura,
Magnaque quam tellus, metat; et ipse suo
Emendat studio felix ERATOSTHENIS ausus. [84]
Astrifer ecce tholus (gaudia quanta putas
Astronomo uigili?) rutilabat sidere, quale
Hactenus absuerat. Cura seuera uiri:
„Astrigero, *quaerit*, radiat noua stella? recenter?
„Insolita flamma? Haec mouet, haecque iuuat
Inuictas nostri flammas, notat indice, flammis
Quot niteat fornix. Hinc ita laude colit
PLINIVS: [85] „En ausus uel et ipsis improbus est DIs,
„Annumerare faces postera fecla sciant.
„Sidera per normas expangere, cuncta relinquens
„Haeredi, coelos, astra corusca poli.
Alter, BITHYNVS, sua nobis scripta dicauit,
Igneus haec PETAV edidit VRANICO. [86]
(Sic male, crediderim, distinxit nomine binos,
Atque duo fecit, qui tamen unus erant,
Praeter GASSENDVM, [87] sollers RICCIOLVS; [88] idque
VOSSIVS [89] emendat, FABRICIVSue [90] diu)
Sublimes merito laudes Tibi dat PTOLEMAEVS, [91]
Haud fat laudandus. Detegis, atque doces:
Zodiaci medio plus distat luna minusue;
Anticipat nodus; luna sed orbe rotat,
Cui eccentricitas dat *centrum perripheriae*
Diuersum a *centro* quod *mouet*, atque regit.
Sic HECATES fluxus fit segnior, hac apogaea;
Cum perigaea, uolans; hypothesesue struit
Ac tabulas celsi, tam celsus OLYMPIONICA
Condidit, (an primus?) motus in hisce datur
Sideris utrius, PHOEBE sunt ac HYPERION,
Annis sexcentis, [92] anteque praecinuit
Tam uasto spatio cursus flexusue duorum.
(Faticani uatis! Cantor HOMERE fuge!)

Exhi-

Exhibuisset opus uigil, id memorabile semper,
Quinque planetarum, cuilibet una foret
Ex propriis numeris series sua, quaeque ualeret
Venturis seclis, haereat Erro uagans
Ad quae puncta caui, praedicere tempore quouis,
Exhibuisset, io! dummodo docta BABEL
Obseruata sibi dederit pro quoque Planeta [93]
Tot, quod lunaris corporis, atque Patris.
Mille octingentis uicibus, plus octoginta
Sol maior terra. Luna sed haece minor
Ter nouies; uideas, ast admirare legendo,
Quam sapiens heros! Vltima PAPPVS habet. [94]

PLINIVS adducit VARRONIS dicta, probatque: n. † 26. ante Chr.
Omnes qui Musas ardet, et astra colit. [95]
Rustica ' *res* etiam demonstrat, tempora Solis,
Lunae, stellarum, perbene nota Tibi. [96]
Et Tecum FIGVLVM [97] doctrinae culmina cantat
GELLIVS; ast scimus, sidere captus eras.

MI, CICERO, quem ter perlegi uentipotentem, n. † 41
ARATVM uertis, multaque scripta docent, [98]
Astronomos ueteres quam sedulus exspoliasti,
CONSVL ROMVLIDAE SCRIBA TYCHONIS ades?

TVQVE GEMINVS [99] ades, sinceraue commemoranda 77. *Rhodius.*
Nunc ISAGOGE, [100] (PROCLVS et inde bibit)
Floret adhuc, legitur, seruauit plurima frugi,
Ceu CENSORINVS, mole fereque pares.

QVAM POSSIDONII magnas it fama per urbes! 60.
Nempe RHODI nostro stella CANOPVS erat [101]
Obseruata, super tantillum scandere terram,
Austrum qua spectat, sat cito mersa cadit.
Altius hanc stellam sed ALEXANDRIA uidebat;
Qua forma tellus, et diametrus habes.
Huius POMPEIVS, se cui occasus et Eos [102]
Subdiderat, clemens, atque QVIRITIS amor,
Huius POMPEIVS celer auditoria quaerens
Vel lauri fasces atria pone locat.

Iactitat

Iactitat ARPINAS, sibi quod tam fidus amicus.[103]
Laudibus ast quantis nobile mactat opus.
Noctiuagus fabricat summi scrutator olympi
Sphaeram,[104] quae monstret, quicquid in axe ratum.
Omne planetarum corpus, quid? motus et ordo,
Orbita declinans, cur propiorque rotet,
Tunc maior uisus; minor, atque remotior unde?
Quicquid praeterea calle planeta subit,
Sistitur his gyris. Heros quod tantus honore
A tantis tanto cultus sit, anne probas?
Et Prytanis[105] gessit iustus moderamina. Verbo:
Sylviae, matri Romanorum. 52. GALLVS, si THALES, SICANVS hicce RHEAE.
SALVE, cur oblitas THEODOSI? uoce rebellis.
An mihi *Bithynus*, an *Tripolita* manes?
Miramur quod Te, senior si sis PTOLEMAEO,
Tam uerax aliis nullibi, credo, citet.
Splendet adhuc, uiuetque liber, qui: SPHAERICA,[106] dictus.
Quemque Geometres, Astronomusue terunt.
Nec non descripsit doctus: HABITATIO[107] quid sit;
Et NOCTIS tenebras explicat, atque DIES.[108]
† 50. CARMINA sublimis nunquam peritura LVCRETI,[109]
In quinto libro pauca superna docent.

FOEMINA Tu CAESAR, num dignus? seditiosa,
Astronomos inter SOSIGENASue[110] mices?
HELIOPOLLITAS quondam BELVMue NINVMue,
Qui moderantur ebur, laurigeraque manu,
Ne solos superis credas addicere curas,
Perdomat indomitus sidera CAESAR. Adest,
Dum uenit, uidit, uicit. Scio. SOSIGENE[111] sed
ISIACO socio, (num duce?) uoce tonat:
„Nec meus EVDOXI uincetur fastibus annus.[112]
Quae rapuit bello tempore iusta refert.
45. Anno sed primo nomen CONFVSIO[113] fecit.
Qui quadringentos quattuor atque dies
Cum quadraginta numerans, interque calando
Tres ferme menses, ordine uincit. Iter

Reddidit

Reddidit immensum furor exitialis habendi
  Pontificum, quibus haec cura tributa diu.
Consul quo longum fasces teneat, dabat aurum, [114]
  Creditor ast foenus praecelerabat eo.

ASTROLOGOS potius tangit quam coelipotentes
  MANILI [115] quae sub nomine Musa canit. [MARCI.]
Sed cum tentaret uolitare tramite celsus,
  Nullus mortalis qua rogitarat iter;
Carmine cum pingat mollis mox sidera, Solem,
  Lunam, mox orbes, ecce corona Tibi.
MANLIVS imposuit quidam (sic PLINIVS ingens, [116]
  Mundi qui libris Amphitheatra parat)
Auratamque pilam superaddidit, (umbra uacillans
  Et par mucroni, densior inde cadat)
Excelsae moli, quae tunc obeliscus in usum
  Solarj (dubito) stabat, et apta PHARO,
Postea rapta PHARO, ROMAE miracula monstrans
  In Martis campo, pondere terra gemit.
MANLIVS, et uates, ambo sin unus et idem,
  Ecce secunda datur iure corona Tibi.

SVAVILOQVENS coeli mendacis scriptor HYGINVS, [117] [C. IVLIVS HYGINVS.]
  Haud excludendus, multaque sparsa ligat.
Te COLVMELLA quidem nobis *res rustica* sistit, [118] [45. L. IVNIVS MODERATOR.]
  Inque diurnali sidera cuncta tenes.

NEC RVTILVM TAVRVM cultoribus adnumerare [PALLADIVS RVTILIVS TAVRVS, seu SCAVRVS AEMILIANVS.]
  Astrorum potero, sed tua docta manus
Euincit, ratio styli cum gnomonis umbra,
  Quam sat subtilem das, Tibi nota fuit. [119]

TV martyr uenerande, ah! possem dicere: CLARE!
  ORACLVM, SAPIENS, DELICIAEQVE MEAE, [120]
De SENECA sermo, tibi cedat scriba TYCHONIS, [Post Chr. N. 65.]
  (Frende puer TVLLI, LIPSIVS [121] ista iocans)
Quot flammae! quae uis! quae uirtus intemerata!
  Vibrat acumen ibi, mox tremebunda tonat.



QVAERIS NATVRAM, dictus ualeat modo liber,
Doctus de Phoebo, sidere, et axe monet.

78-104. PLVTARCHVS fulget SENECA dignissimus. Ambo
De superis clare, rara, profunda, noua.
Quamuis iam uitas alternâ feruidus hausi,
Me tamen erudiunt caetera scripta magis.

PANDITVR interea mundi totius imago,
Lib. PLINI THESAVRVS foedere ternus ouat.
II. III. IV. V. VI. Sidera cum mundo; tellus habitabilis; huius
VII. VIII. IX. Incola; tunc animal, quod alit terra; mare;
X. XI. Aer; insectum; plantae tunc ordine uasto,
XII — XV. Fragrantes; peregres; uinea; frugiferae;
XVI — XVIII. Siluestres; exinde satiuae; agrumue colentis;
XIX. XX. Hortenses, linum; queis cibus, atque medens
XXI. Vtitur; et flores uarii, atque coronamenta
Tractantur, quantum nos inaperta docet!
Post uegetabilium series Medicina salubris
Sistitur atque manu diuite. Sume breui!
XXII. XXIII. Pharmaca quae fiant ex herbis; arboribusue,
XXIV. Et Baccho; siluis; nata sit herba potens
XXV. Sponte sua, quae dat Medicinae? pergit opimus,
XXVI. XXVII. Tuncque nouos morbos edocet, atque sata.
XXVIII. Ipsi terrigenae nos, ac animalia magna
Num medicina sumus? num reliquique greges?
Enumerat solers auctores arte medendi
XXIX. Splendentes primum; quosue Magia dolos
XXX. Obtegat, e medicis quaedam per membra recenset;
XXXI. et XXXII. Fontes, lenimen quod sit aquatilium.
Omnimodis nec sic exhaustus PLINIVS altus;
XXXIII. Hermetem uideas, quando metalla liquat,
Tractans obryzum per plumbum separat, album
Argentum, mineras, omnia; uixque putes,
XXXIV. Ni legeres ipsus; aes, ferrum, plumbea, stannum,
Aeris et artifices, cum statuisque ualor
XXXV. Narratur; fulget color, encaustum, et quis honos sit
XXXVI. Picturae; lapides, marmora, uitra, focos,

Marmo-

Marmore quae furians quondam lafciuia, pingit;
Vltimus ut gemmae, myrrhina, fculpta, petrae
Exoriantur habet, medicinas inde parandas, XXXVII.
Electrum, probam, [122] factitiosque tenet.
Tantum promittit, Victor promiffaque foluit,
Dum mundus praefens aufus id nemo fuit.
Quam liber eft uaftus, memorabilis, erudiensue!
Nec minus it uarians, quam Phyfis ufque polos.
Quam fuperas omnes! Floret Liber ille SECVNDVS,
COELI THESAVRVS. Thus adoleto! uale!

NVNCQVE THEON, SENIOR, SMYRNAEVS, (quisquis, at idem) inter 20 · 140
Dicendus, coelo DAEDALVS artis acer.
Sufficit in laudem, laudatus ftat PTOLEMAEO, [123]
Obferuat PAPHIAM, MAIVGENAMVE notat.

QVO CLEOMEDES, amor Mufarum, uixerit anno
Fluctuo, fed nunquam cui PTOLEMAEVS adeft,
ANTE uirum tantum recte uiguiffe uidetur;
En! nobis liquit quae monumenta SOPHVS,
CYCLICA doctiloquus lectuque THEORICA digna, [124]
Claffìcus hic auctor tempore nempe fuo.
FABRICIVS memorat, quod codex fit fibi notus
Scriptus, quem noftri BIBLIOTHECA tenet. [125]
Quando legas librum, ftupeas, relegasue, uidebis,
Non modo CASSINO, HVYGENIOque graui
Orbibus immenfis maius folare uolumen,
HIPPARCHO dudum grandis idea fuit:
Mille putat uicibus cum quinquaginta minorem [126]
Terram, quam Phoebum; confonat hocce male
Verbis quae fupra BITHYNVS [127] fcripferat ipfe.
Sed POSSIDONIVS [128] talia parua uetat.
Millio cui tandem forfan uix tertia fat fit,
Quot ftadiis, mirum, feruida fphaera tumet.
Aft CLEOMEDI, ubi tunc propria [129] fit mente loquendum,
Mille (decem uicibus) Vefta ftat, Igne minor.
Quid faciant noftro Victores tempore coeli,
HIPPARCHO fi iam tantula terra, nihil?

THVRICREMA pietas adolere perenthea dextra
PELVSI mandat nunc DSCVS. Ergo lubens
n 70 (69.) Officio faciam ſat, cantans Te PTOLEMAEE,
† 147. Vos PTOLEMAEEAE litora docta PHARI. [130]
Non regis fulget ſtirpis Tibi gloria CLAVDI
Vanae, dicebas: (uanus at ipſe fere)
„Reges picturae ſimiles; longinqua, placetque;
„Diſplicet, ut luci pene propinqua nitet [131]
Immortale dabas opus, inſtruit ORDINE MAGNO,
SYNTAXI MAGNA uernat, et aſtra petit.

Hoc quas contineat leges, quae celſa gubernant,
In tredecim libris, hic breuitate legas.

I. Coelum, terra globi; medio haec ſtat; chorda quid arcus?
II. Increſcente die ſcandit polus, angulus inde.
III. Annum metitur; medium SOLIS; ſed et aequat.
IV. LVNAE circuitus; ſimplex; aequatio; lata.
V. Armillae, ſynodi, BITHYNI ſchema celebre.
VI. Hic docet atratae LVNAE SOLISue labores.
VII. STELLARVM motus numerusque ſub axe BOREO.
VIII. AVSTRALES, LACTIS VIA, culmen, caſus et ortus.
IX. Erro; retrogradus; reditus; tunc ſubdolus HERMSS.
X. Orbita LVCIFERAE; reuolutio MARTE cruenta.
XI. Tuneque IOVIS gyrus; SATVRNI, ſine tabellae.
XII. Quid ſtatio, tabulae, qui retro quiſque planeta.
XIII. Radix, declinat, reflectit, ſtella latetque. [132]
Tantae molis erat coelorum condere leges. [133]

Hoc ARABES, tunc his ad nutum terra polusque,
Iuſſu MAIMONIS, PRINCIPIS Armiſoni,
(BALDACH, aut BAGDAD, [134] CALIPHA ſceptra uibrauit)
Alcorani lingua, MVHAMEDIue dabant.
Octauo, (poſtquam nos SERVATORE redemit
NVMEN PACIFICVM) iunge ter octo, tria, [135]
827. Seclo, tunc reperis tempus, quo filius HIOS
Bellipotente manu coelipotensue ſtetit.

HYPSI-

HYPSICLIS eſt ſcriptum reſtans: ASCENSIO:[136] lemma, 160. 169.
ASTRONOMVS PARVVS,[137] claſſicus auctor habet. *Alexandrinus.*
Quae CENSORINO[138] debes, iam laude decora, 238.
Sed paucis tetigi, ſedulitate placet.

FIRMICVS[139] hic cedat, coeli iure arceo templo, 314.
Quid Senacher, Theſogar, Syth, Sothis, Aphut, Aharph? *Iulius Maternus.*

HYPATIAE[140] uirtus ubi? Deque THEONE tacerem? *Iunior. Alexandrinus.*
Iniuſtus fierem. Cedrina ſcripta PATRIS
In PTOLEMAEEVM librum rigidiſſima proſtant,[141]
Hinc ALMAGESTVM hybrida gloſſa facit.
Eclipſin ſolis uidit, lunamque nigrantem[142] 365.
Sic quando noſter uixerit, ipſe legis.
FILIA quem fugeret? cytherëia, corpore pulchra,
PALLADIS exemplar, MVSA uenuſta, pia;
Calculat aſtrificans canonem. Vix ſancte CYRILLE!
Hanc tu trux caedis? Forſitan ipſe doles. 415.
Mortem uix optas. Optas ſubmiſſior ut ſit,
Plebs ultra rabiens quam tua uota cient.

ET RVFVM FESTVM tetigi, qui carmine dulcis[143] 370. AVIENVM.
ARATVM cecinit, doctus et ORBE SITVM.[144] DIONYSII PERIEGETAE.

MACROBIVS ueluti ſyſtemate (laus decumana) 395. AVRELIVS
SOMNIA CORNELJ[145] pandit et arte capit. THEODOSIVS, V. C.

PAPPVS COLLECTOR[146] conſeruans multa, meretur 400. *Alexandrinus.*
Cui laudes tribuam, quas PTOLEMAEE! Tibi[147] 480.
Tam tribuit iuſtas. Sequitur peregrina CAPELLAE[148] *Martianus Mineus Carthag.*
Haud ſed inepta manus, quam dolet HVGO tener. GROTIVS.
PROSPER AQVITANVS,[149] mox VICTORINVS,[150] eidem † 466. 457. edidit.
Compatriota, uigent, ante CYRILLVS atrox[151] 437 cyclum inchoauerat.
Pro paſchae reditu cyclos, uariosque dederunt; † 444.
Computus in paſcham Vos decet, haudque poli.

QVIS ſileat PROCLVM (dedit eius facta MARINVS)[152] DIADOCHVM.
De MOTV[153] ſcripſit; SPHAERAque[154] mille patet LYCIVM. n. 412. † 484.
Impreſſu uicibus, (quam totam pene GEMINO
Deberi uideas) utilia atque breuis.

F 3 Vertit

Vertit LINACER, cui fertilis Anglia uitam,
Hic PROCLI sphaeris Ausonis ora dabat.
SYNTAXIN MAGNAM PTOLEMAIDIS, HYPOTYPOSI, [155]
Illustrans; aetas postera grata refert.
Hunc PROCLVM multi multo faciunt seniorem,
PLVTARCHI [156] seclis; anachronismus hebes.

SIMPLICIVS sane proprii stat BAYLIVS aeui,
Quae legit uastus! quaeque reliquit homo!
Quae COMMENTATVR solidus per PHYSICA CELSI,
(Nostis ARISTOTELEM) gaza perennis erunt.
Illustrat COELI libros HEROIS, adauget
Quae spectant ANIMAS. [157] Ast EPICTETE! tuum
Sin ENCHIRIDION [158] sua uirtus explicat alta,
Nullus paganus tam pia, sancta canit.

QVIS THIVM [159] nouit? cui gemmea iure corona
Praeuiridansque diu tempora cingit. Adest
Indefessus apud Gallos BVLIALDVS, [160] honestus,
Ac testis uerax. Regis ut ille, (manu
Eximios libros, sed scripta) uolumina torquet,
Incidit in rarum, quod capit, ecce cito.
Hoc spatio quadrat, iacuit quo machina coeli
Abs aera CLAVDI, dum VENERANDVS HONOS
PEVRBACH et FRANCVS MOLIMINA FAVSTA ciebant.
Publicat haec Gallus, sicque programma dedit. [161]
Gloria, Pandectas qui primus protulit, effert?
Gloria quanta THIVM? Teque BVL'ALDE decet?

† forsan 575. M. Aurelius.

QVI THEODORICO peramatus CASSIODORVS [162]
Scripsit multa; parum celsa polumque iuuans.

non satis cognitae aetatis.

ADDVCI meruit TATIVS iam BLANDVS ACHILLES, [163]
Qui commentator DVLCIS ARATE! Tui.
HYPSICLIS [164] in nostro cum quondam mentio fiat,
Inde pater, senior te PTOLEMAEVS erat.

EN ingens uacuum. Refriguit ardor in astra,
Augustus MAIMON denuo feruefacit.

Qualis

Qualis tunc, repetit, ſtet declinatio Solis [165] 830.
Maxima; mox campos SINEAR ipſe uouet,
(Cedat Theſſaliae recreans nemoroſaque Tempe,
Hic NABATHAEORVM corde flagrabat amor)
In queis menſuret geometres agmine gnauus, [166]
Terreſtrisne gradus quantus amuſſe datur?
Secula fluxerunt tria ter. Tunc ingenioſa
Gallia ſurrexit, palmaque iure ſua.
CINNA, TRIVMVIR atrox, FELIX, MARIVSue triumphis
Omnia caede replent. Ecce TRIVMVIR adeſt,
GODIN, cum BOUGUER, DON CARLOS. Pyramidesue [167]
Laudes aeternas poſteritasue canet.

SANGVINE tunc Regum micat ALBATEGNIVS ortus, 879.
Hic CLAVDJ canones corrigit, isque labor
Par eſt ac ſi quis torquens abs Hercule clauam.
Seruauit TIBVRS, nomine PLATO, librum.
Scripti STELLARVM praefixa SCIENTIA rubro, [168]
REGIOMONTANI docta notata nota.
En et ARABS compar ALFRAGANVS, ille ſuperſtes 950. VOSSIO
ASTRORVM nobis hic ELEMENTA dedit. ALFRAGANVS prior.

NVM quem YEZDEGIRD, aut quem latet Aera GELALI? [169] 632. 1079.
Per ſex Sol ſcandit, ſex remeare ſolet
Aſtris ſigniferi, boreae dum uoluitur altis
Zenith accedit, ſtans apogaeus, abeſt;
Denuo regreditur capricorni cornua luſtrans,
Et Nadir propior ſed perigaeus erit.
VRANIAE filj uix annum figere norunt
Sic expolitum, ceu GELALAEVS erat.

ANNO milleno triginta iunge ducentos, 1230.
Tunc alter FRIDERIC, CAESAR HONORVS, opus, [170]
(CLAVDIVS hoc oris quondam perfecit achiui,)
His iuſſit terris uerba latina loqui.

A SA-

A SACROBOSCO frondebat tempore compar, [171]
Haud obferuator, frugifer auctor erat.
Sidera quot coelo tot commentantur eundem,
Quaelibet Europae gens fua fcripta colit,

NVNC mihi Pierides penetretis pectora facrae
Oeftro, clarifonus LAVRIGERVMque canam.
ALPHONSVS SAPIENS REGALI SYRMATE FVLGET,
Qui quatuor-decies BIBLIA SACRA legit. [172]
Temporis haud huius, DIADEMA quod IMPERIALE
Oblatum dederint TEVTONE REGE fati;
Temporis haud huius, tulerit quae Victor opima,
Quae tulerit uictus, REX, Pater, inque toro.
Hic ftat ut Aftronomus, fed REX ftetit ASTRONOMORVM,
Hic regnum MAVRIS, aftra uel ipfa, rapit.
ALPHONSI tabulae numeris quondam uiguere,
Excuffe perquam conueniente polo.
1256. Immo, fluens annus, laetor! feclaria quinta [173]
ALPHONSINARVM, fint mihi fauſta! monet.
LVMINE fic VNO celebremus SECVLA BINA.
TV, NVMEN SVMMVM! gaudia ferque pia.
TV, SVMMVM NVMEN! nec fer, quod Marsque, cruorque
Turbet, ceu nuper, SECVLA noftra diu,
Anne fed ALPHONSVS millenos, fumma ftupenda,
Tempore praeprimis (barbara lingua, fcio.
Maxime fed STÜBEL! pudibuuda piacula funto,
Eft uox, quid frendes? corrige CELSE! licet)
Anne coronatos ALPHONSVS millia centum, [174]
Sed quater hos fumtos, penderet in tabulas?
Hiftoricus uideat, lis haec mea nullibi fiet,
Num faciet? dubitans arca TOLETA fciat.
Sat fatis ALPHONSO. SAPIENS fic pace quiefcat,
INDVPERATOR, REX, ASTRONOMVSque, uale.

NE detur uacuum ueniant dum IVBILA NOSTRA,
En! COMES hic REGI, PRINCIPE DIGNVS adeft.
1322. Adfit ABILFEDA PRINCEPS, regnauit in HEMAT, [175]
PERSIS, et ASSYRIAE, cui SYRIAEque iacent.

Cofmo-

Coſmographus celſus, celſusque Geographus audit.
En ARABIS quantum denſa propago cluat.

POST clarebat OLVGH BEIGH, magno TIMVRE natus,
Qui patris furias haud imitaris. Honor
Intemeratus erit TIBI. Primus ſidera celſi
Poſt CLAVDI canones ecce pinace refers.[176] 1440.

APPROPERAT portus, ferimur quo laude VIRORVM,
Haec pro magnita, uerſoriaque fuit.
Poſt CHRISTVM natum Sol mille repleuerat orbes
Cum quadringentis tres quoque bisue decem. 1423.
Limitis eſt Bauari locus, hunc tenet AVSTRIA IVSTA,
QVAMQVE NEVS ferues, Turcaque Luna time.
Planities meſſi flauens, fluitanteque ſpica,
Qua patet aſpectus ſerpit in alta uirens.
Qua patet, arboribus circumdatur undique, ualle
Vndaque cryſtalli, fons gelidusue ſtrepit.
Saltum, quem cancrum dum Sol premit, aeſtus anhelans
Haud penetrare ualet, frons rediuiua tegit.
Hic apis aduolitat, uenit, itque, reditque, legitque,
Mellificatque thymum, murmura grata ciens.
Hicque greges DAMON cuſtodit gramine laetos,
Hic AMARYLLIS oues paſcit, amoena canens.

ECCE DIANA, ſagax et inexaturabile bellum
Inque feras tendit, dirigit, ice, cadunt.
O uiſum ſuauem! ros ſcandens,[177] ros recidensue,
Ad cathetum montis nubis et umbra natat.
Percutit ut radius Solis guttasue penetrat,
Frangitur introitu. (denſior unda iubet)
Stillae poſterior radio membranula tacta,
Reflectit, properans anteriora petat.
Exit, bis fractus, recto tunc tramite pergens.
Sin oculus forſan, quemque ferire queat,
Viuidus obſtiterit, retinae quam rete colorat!
Quam pingit uarie rubra, crocumque, uirens!
Ignibus accumules aurum Tu PINDARE! flammis
Iunge Tyri conchas, purpura denſa fluat,

Infere fmaragdos numerofus, et uiridantes,
Coeli fapphiros, plura fed Iris alit.
Quam Thaumantiados fplendor curuamine laeto
Mille fpeclis flexus lumina mille creat!
Quot fpectatores, arcus tot circinat ictus,
Et radio cuiuis rofcida gutta patet.
Quamque frequens geftit PEVRBACHIA fede quietis
Grandi fpectaclo! Concide pauo tumens.
Hoc pofitu gaudet PEVRBACH, hinc luce beata,
Hinc PEVRBACH uitam, cum patre, nomen habet.
Sex leucis diftat LINCIO, numerentur ad ortum,
Vna parallelos iungit utrosue fimul.
Cum menfis currens (hic a Maioribus audit)
Ter decimusue dies, [178] irreprchenfa parens
Ex animo gaudet fe pulchra prole parentem,
Ex animo gaudet nunc fua uota rata.
Hicque dies, certum, fignatur tempore prifco.
Hic DOCILISque PVER crefcit, et alta fapit.
Quae NOSTER IVVENIS, fed mentis fecerit amplae,
Digne GASSENDVS, dignus et ipfe, docet. [179]

1435. FLVXERAT a Noftri natu duodenus et unus,
Poft Nonas menfis [180] (IVNO fed huncce facrat)
Nafcitur ingenti fama fuper aethera notus,
IOANNES MÜLLER nominis, urbe proba.
REGIVS hic MONS eft nemorofus FRANCORIENTIS,
Haud nimis excelfus, fertilitate grauis.
REGIVS hic diftat parili MONS tramite ferme,
BAMBERG SVINFVRTO, Parrhafis Arctos ubi
Culmine fe modicum cliuofo iugere tollit.
Vinea, quam thyrfis THYRSIGEA ornat, adeft.
Palmite pampineo uiridefcit collis, et uuis
BACCHE! racemiferis maffica laeta rubent.
Afcenfum uiolae uariant, commixta liguftris
Lilia, bellidibus, uaccinioque rofa.
Haec inter refonant uolucres arbufta canorae,
Hic Philomela uibrat, uerficolorue genus

Euolat,

Euolat, it, reciditque rotatile pennipotentum.
Montis sed fundo saxea uena placet.
Hic eraniue strias undatim carnea scindit,
Marmore candenti uenula melle micat.
Hic silicis gleba resident Hammonia cornu
Fragmina praeduri, concha, silurus, olus.
Hic rupes stillant uiuae, latices quoque uiuos.
Hic placidà bysso stagna quiete uirent,
Haec polypus, torpens animal, num planta? pererrat,
Quot resceces partes, tot noua tota uide.
Tam fausto genitus stat FELIX climate MÜLLER,
Magnas cui laudes languida Musa dicat.
Quid CVPIDVS IVVENIS TANTA dabit INDOLE dignum?[181]
Quid de TE sperat patria, sidus, humus?
Altiuolans penetras ceu uictrix, alta polorum.
LIPSIA TE uidit, patria grata patri.
LIPSIA non felix! erit ast et finis in istis,
Et TIBI, CARA PARENS! exitus almus erit.
Haud repetam tenuis GASSENDI grandia dicta,
Deque VIRO TANTO paucula uerba dabo.
Grammaticus, Rhetor, Geometres, Pictor, Amicus[182]
Astronomus, Constans, OMNIA SOLVS eras.
TE coluit TYBERIS, mox aestimat IPSA TIARA,
BESSARION fratris, iure sed, instar habet.
Quantus amor quanti? quanti TE fecerit aula
AVGVSTI FRIDERIC, HVNNIADESVE TONANS,
ARCHIEPISCOPIVS STRIGONI PRAESVL amarit
Quantum, iam sileo. Dicoque, (Musa iubet.)
Infula, qua dudum fulgens AVGVSTA TIBERI,
Designabatur, gloria quanta! TIBI.
Crinitas sileo, sileo quoque typographiam,
Quodque Professor erat, scripserit, (haudque lubens
Hoc taceo) graecos TVA libros DEXTRA perite;
Quae PTOLEMAEVS agon, quantus is ipse? TIBI
Debeat, haud tangam, nec tangam carmina celsa
Graiugenum cecinit quae TVA MVSA capax.

Cernis Ephemerides, quas quiuis consulit, hisce [193]
Mox nostri famam terra polusue tulit.
Tempora nunc iussus, cyclos, annumque reformas,
IPSE TIBI CAESAR SOSIGENESVE simul.
CAESARE stas maior, non TE iuuat ille CANOPI.
Deficit, en! tempus, caetera iam fileo.
Non fileo, uirtus fuerit quae, quam ueneranda,
In PRAECEPTOREM, PEURBAC at ILLE fuit.
VOS studium iunxit coeli, iuuenilis et ardor,
Ardor in artifices, amboque corda ciens.
Mens eadem nostris, idem modo zelus utrique,
Ac idem candor, rarus hic, ecce, diu!
Quid faciant IVNCTI? cum SOLVS QVILIBET astris
Imperet? id nobis LVX dabit, HOCCE DIE;
HAC potius NOCTIS CALIGINE; SECVLA TRINA
Complentur, queis FAX fulserat axe nigra.
Nox erat, et plenis rutilabat luce DIANA
Cornibus, et sudum sparsit uterque polus.
PLEÏADVM primas uiginti stabat in ortu
Atque gradus binos alta, (DVOQVE VIRI
Haec mensurabant) subito LATONIA VIRGO
Mergitur, et PHOEBAE lux nigra, tota cadit.
Perque gradus variat, pallescit, ceuque uapore
Vel potius uelo, CYNTHIA tecta foret.
Post cineris tegmen ruffescit, flauicomantis
Ac crocei iubaris nunc dabat igne faces.
Tunc fuscata magis, tunc sanguine torret opaca,
Atricolor, nigricans, pix nigra, nox mera, nil.
(Sic HERMES pingit sua mira, sed ordine uerso
CAVDA IVNONEM NVNCIA PAVO uehit.)
Durant dum tenebrae FOMAHANT fere culminat austro,
Haud altus transit, BIGAQVE DOCTA uigil.
Donec ATLANTIADVM palmaria semisupina
(In laeua sphaerae quam rubra tingit Eos
Semper adhuc scandens) fere callem dimidiando
Triginta, bis ter partibus alta natet.

Laeua

Laeua tonat! Laeua? ter faustum Numine signum!
Laeua tonat! PEVRBACH REGIOMONSque cape.
IVPPITER en summus geminatis ignibus adstat,
Signaque laetitiae uel bonitatis habes.
Audio quid? (coelum noctis caligine nigrans,
Lunaque deficiens nempe uidere uetant)
Audio sed fremitum. FVLVVS IOVIS ALES in aethra
Diuerberat pennis, laetaue portat; adest
Vulturis aut hexas, dubiis praesagia dando:
„VESTROS conatus approbat ALTA MANVS.
Huc augur lituo! uittatus, candida uestis
Te cingat purum, uaticinare probus:
„VOS optat BINOS et APOLLO, VOSque MINERVA,
„Qui studium coeli iam reparare ualent.
„VOS sequitur TYCHO, VOS HASSVS COELIPOTENTI
„PALMIFERAQVE MANV, VOS HEVEL, atque KEPLER.
„SEQVANA, VOS THAMESIS, VOS ISTER, SVECIA, NEVA,
„VOS sequitur quiuis astra polumue colens.
„VOS post TERCENTVM celebrabit feruidus ANNOS
„Cum nato genitor, LEVCORE thura cremant.
Denuo laeua tonat, sed et hexas uulturis axe
Vibrat, noscatis: CARMINA SVNTO RATA.
Temporis hoc puncto lunae iubar illico puncti/
Instar splendentis corniculansue redit.
Haec AMBO NOSTRI, CAELORVM VERA PROPAGO,
In MOELLEN castro, quôque VIENNA POTENS
Vndecima grandi leuca remouetur in ortum.
HAEC! NOX, HAEC! EA NOX, HAEC! REVOCAMEN erat
ASTRORVM VICTRIX, et ab HAC REGERMINAT AETHER,
HAC EPOCHA SVRGVNT ASTRA RENATA GRAVI.
VOS, AQVILAS DOCILIS sequitur NORIBERGA PERALTAS,
Vos PRVSSVS, REINHOLD, TYCHO, KEPLERque docens.
Nil de morte pia; mihi ne mea IVBILA turbem,
Hancque pater tetigit, [183] quem mihi, siste DEVS! PATER!
HAEC! NOX, HAEC! EA LVX RVTILANS! HAC SECVLA TRINA
COMPLEVIT STVDIIS ASTRONOMIA VIGENS.

HAEC, AVDITORES! haec, haec, ueriſſima cum ſint,
Num cecini iuſtus IVBILA IVSTA poli?
CAELIPOTENS modo REX, RECTOR, rerumue REPERTOR
IVBILA det ſemper, IVBILA LAETA TIBI,
LEVCORIS ALMA! TIBI, RVTILET poſt nubila PHOEBVS,
Poſt ſpinas PALMAE, ficus, et uua fragrans.
Protege REX REGVM, REGEM! CLEMENTIA nota,
Hac TITVM merito Saxo fidelis habet.
Cui nocuit? dicas. Quem, dic! ſpoliauit iniquus
Pollice uel terrae? Liuide liuor, ai!
ERGO PATER PATRIAE! mihi ſis uel IMAGINE SANCTVS!
SCVTVM LVTHERI, iuſtitiaque pius.
Cor micat HIC! unum. Sed cordum millia centum
Quam ferrem promtus! mi FRIDERICE! TIBI!
Mi FRIDERICE! mihi fluat VLTIMA gutta cruoris,
VLTIMA uerba darem! SVMMAque, TESTE DEO!
FAC! NVMEN! cedat mox bellum, pacis oliuae
Et SALVVS redeas REX VENERANDE! Vale.
SPEM PATRIAE ſerues, DIGNIS Fortuna CORONIS!
RVTAque WITKINDI FRVCTIFICATO SATVR!
Hacc qui non uoueas, carus pater ipſe uel eſſet,
Non dignus Saxo es. Sed meliora DEVS!
Sed meliora DEVS! Candor uiget, atque perennat
Saxonis aucta fides, palmaque preſſa uiret.
TERTIA ſic nobis fluxerunt SECLA peracta:
Poſt CENTVM, PEVBEAC! quis TIBI QVARTA canet?
Admonet at cultus quem VOBIS debeo PATRES!
Temporibus parcam. Sic mihi finis adeſt.

MAGNIFICVS RECTOR! SCEPTRVM qui nunc moderatur,
TVque PERILLVSTRIS BARO! DECORE MEO,
CONSCRIPTI PATRES! cineri mihi DEVENERANDI,
VOS, AVDITORES! ORDINE quisque SVO,
VOS, una mecum, uoti, sacrique CAMOENIS,
Spes patriae, patribus, qua VITEBERGA uiget,
Accipitote, rogo, quia me PRAESENTIA VESTRA
GRATA decorauit, debita uerba mea:
Mille Bosi grates dat VOBIS Musa tenelli!
Finio! num gratum? Dicitis? ergo uale!



L. B. S.



L. B. S.

Mihi, tunc temporis aegrotanti, et lethaliter aegrotanti, dum in grabato meo AMICORVM literas accipio, excerptasque typographo praeparo, aliquot ſphalmata in programma irrepſiſſe non mirum, ſed et tanto citius me ueniam impetraturum confido. Legas ergo

Pag. XIV. lin. 6. a fine, pro *diſcipulis*, *diſcipulus*.
XVII. — 15. pro 1557. 1457.
XXI. — 7. pro *uacuam*, *uacuum*.
— 9. a fine, pro *labore*, *laborare*.
XXII. — 2. pro PEVRBACHIVS, REGIOMONTANVS.
XXIII. — 1. pro *qua*, *quo*.
— 13. pro NOSTRAS, NOSTROS.



NOTAE.